

concessione pontificum. largitione Regum uel Principum. oblatione fidelium. seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci. firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis . . . Ad B a l z o l s² curtem cum capella et aliis pertinentiis suis . . . P r e d i u m in S a - l e z z e s³ . . . P r e d i u m in S i l u a p l a n a⁴ cum decimis . . . P r e d i u m in R u n k a l s⁵ . . . cum pratis. uineis. terris. nemoribus. usuagiis. et pascuis. in bosco⁶. et plano. in aquis⁷ et molendinis. in uiiis et semitis. et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane noualium uestrorum que propriis manibus uel sumptibus colitis. siue de uestrorum animalium nutrimentis nullus a uobis decimas exigere uel extorquere presumat . . .

Prohibemus insuper ut infra fines parrochie uestre nullus sine assensu diocesani episcopi et uestro Capellam seu oratorium de nouo construere audeat. saluis priuilegiis R o m a n o r u m Pontificum. Ad hec nouas et indebitas exactiones ab Archiepiscopis. Episcopis. Archidiaconibus seu Decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularisue personis omnino fieri prohibemus . . .

Decimas preterea et possessiones ad ius ecclesiarum uestrarum spectantes que a laicis detinentur redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent reuocandi libera sit uobis de nostra auctoritate facultas . . .

Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris R o m a n i s Pontificibus ordini uestro concessas. nec non libertates et exemptiones secularium exactiōnum a regibus et principibus uel aliis fidelibus rationabiliter uobis indultas auctoritate apostolica confirmamus. et presentis scripti priuilegio communimus. Salua in omnibus supradictis moderatione concilii generalis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare. aut eius possessiones auferre. uel ablatas retinere. minuere. seu quibuslibet uexationibus fatigare. sed omnia integra conseruentur. eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salua sedis apostolice auctoritate et in predictis ecclesiis diocesani episcopi canonica iustitia . . .